



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

Institutiones Qvintvplicis Theologiæ - Positivæ videlicet, Asceticæ,
Polemicæ, Speculativæ, & Moralis complectens, Unà cum Appendice
Methodum compendiarium reformationis Ecclesiasticæ à Concilio
Tridentino factæ continente

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1679

Principium 20. Res judicata pro veritate accipitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48233](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48233)

PRINCIPIUM XX.

Res iudicata pro veritate accipitur.

Sensus.

Hoc est, quando sententia semel à Iudice lata est, & non probari potest manifestè nulla aut notoriè injusta esse, tam perinde acquiescendum illi est à partibus, ac si veritatem ipsam circa controversiæ suæ punctum audivissent, intellige, si sententia talis sit ultimata, à qua appellare non licet.

Authoritas.

Desumptum est ex l. 207. ff. de reg. & ex communi Doctorum in c. Suborta. 21. de sentent. & re iudicata, ut ait Barbosa axiom. 200.

Ratio.

Quia sententia præsumitur justè lata, uti idem Barbosa l. c. n. 2. cum plurimis ex c. in præsentia, 6. de renunciatione docet; alioquin enim nullus finis controversiarum foret.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Sententiam, quæ contra rem prius iudicatam lata fuerit, viribus carere, etiam circa provocacionis adminiculum, uti in l. Latam. l. c. Quando provocacione deciditur.

Deducitur 2. Eum, qui per sententiam latam ingenuus declaratus est, pro tali habendum esse, etiam si prius Libertinus fuerit, uti in l. Ingenuum. 25. ff. de statu hominum deciditur.

Deducitur 3. Iudicem sententiam semel latam non posse mutare, aut corrigere, aut revocare, uti in l. Quod iustus ff. de re iudicata habetur.

ARTICULUS VII.

De Principiis ad Religionem pertinentibus.

§. I.

De Principiis ad Orationem spectantibus.

PRIN